



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. IV. De simplicitate De in se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

nihil maius excogitari potest, hoc autem ipsum per duas negationes declarat in cap. 15. dicens. Ergo Domine non solum es, quo maius excogitari nequit, sed es quiddam maius, quam cogitari possit. Quocirca, licet Divus Thomas lect. 4. super cap. 7. Dionysij de divin. nom. recte distinguat modum cognoscendi Deum per negationes, vel comparisonem, & præstantiam: tamen hic posterior semper inuoluit negationem, per quam explicandus est, vt Anselmus fecit. Nam cum dicimus vitam intellectualem Dei esse perfectissimam, hoc superlatiuum explicare non possumus, nisi per negationem alterius viuientis superioris, vel æqualis in talis vitæ perfectione. Et ita semper cognoscitur Deus per negationem. Propter quod dixit Dionysius cap. 2. & 7. de diuin. nom. esse supra substantiam, & supra cognitionem. Sic etiam capite primo, & 5. de Myst. Theolog. dixit, cognitionem Dei per negationem esse perfectiorem, quia nimirum efficiatur magis propria Dei, nisi enim adiungatur negatio, semper quod, vt positiuum concipitur, commune est, si præcise in positiuo sitatur. Nam per ordinem ad negationem etiam intelligimus perfectionem illam singularem in tali, & tali prædicato, esse in Deo, positiuam, quamuis à nobis, vt talis est, non nisi per negationem possit explicari. Et hoc modo explicant sancti, quid sit Deus, vt videre licet in Dionysio supra & Augustinus 5. de Trinitate capit. 1. & tractat. 23. in Ioann.

CAPVT III.

Sine diuina essentia omnino simplex substantia, ita vt nullam substantialem compositionem admittat.

1. *Conclusio.* Hæc quæstio ex principijs supernaturalibus facile expediri potest, iuxta principia vero naturalia in disput. 30. Metaphys. late tractata est. Dicimus ergo Diuinam naturam, & substantiam esse omnino simplicem. Quod est de fide sub his terminis definitum in Concil. Lat. in cap. Firmiter, & Damnamus, sæpe citatis. Et in Concil. Rhemeni contra Gilbertum Porretanum, vt infra in materia de Trinitate ostendemus. Ex Scriptura, & Patribus, non oportet nunc plura referre, præter ea, quæ inferius de attributis dicenda sunt, & quæ in sequenti discursu attingem. Duobus enim modis potest hæc veritas declarari, quos attingi dicta disput. 30. Metaphys. sect. 3. Vnus, & breuis est ex ipsa perfectione simplicitatis. Quamuis enim vera sit opinio Caietani, simplicitatem per se non addere rei perfectionem, quia in negatione consistit, vt ibidem dixi, tamen dubitari non potest, quin cæteris paribus, melius sit habere totam rei perfectionem in simplici entitate, quam ex plurium adunatione. Simplicitas ergo ex se circumferibit modum essendi perfectiorem, ergo talis modus entitatis Deo tribuendus est, quia tribuendum est illi, quidquid est perfectius. Quod eo loco latius ostendi, ac declarauimus.

2. *Secunda probatio.* Secundo probari hoc potest sistendo in negatione quam dicit simplicitas, & discurrendo per omnes modos compositionis substantialis, de qua sola nunc agimus, nam si ostenderimus nullum eorum cadere posse in Deum, satis probatum erit Deum esse substantiam omnino simplicem. Ad probandam autem inductionem illam basis erit discurrere per omnes compositiones, quæ in substantijs creatis inueniuntur, nam nouam fingere, eamque Deo tribuere chimericum esset, & fictum, & ideo contemnendum est. Præterquam quod rationes, quibus excluduntur veræ compositiones, conuincunt nullam excogitari posse, quæ imperfectionem Deo repugnantem non includat.

Prima ergo compositio in substantijs inuenitur ex esse, & essentia, quæ suo modo etiam conuenit accidentibus. Et quantum de modo compositionis huius in creaturis magna opinionum varietas sit, vt in disp. 31. Metaphys. diximus. Tamen in hoc omnes conueniunt, quod ad talem compositionem necessarium est, vt esse actualis existentia non conueniat essentia creatæ ex intrinseca quidditate sua, ita vt illam à se habeat, & non ab alio. Nam vbi essentia ex se habet esse, esse est de intrinseca quidditate eius, vnde nec cogitatione apprehendi potest, quod compositionem cum illa faciat. Ita vero se habet esse ad essentiam Dei vt ostendimus: & ideo talis compositio in Deo locum non habet. Itaque compositio hæc se cum asserti ad minimum duas imperfectiones, vna est, vt essentia ex se sitens potentiale tantum. Alia est, vt in ratione entitatis actualis necessario pendeat ab alio dante illi esse. Quæ duo euidentissime repugnant primo enti.

Secunda compositio est ex natura, & supposito, quæ est communis omnibus substantijs creatis, & magis realis, quam prior, vt in disp. 34. Metaphys. late tractatum est. A diuina autem substantia excluditur talis compositio, quia vt est esse omnino absolutum essentialiter subsistit. Quia illud esse quod essentialiter est sua natura, essentialiter etiam est esse subsistens, quia est perfectissimum, & perfectius est esse subsistens, quam non subsistens, vt per se notum est. Si autem comparatur illa absoluta Dei substantia ad relationem, iam consideratio illa pertinet ad mysterium Trinitatis, non ad vnitatem Dei, sub qua ratione nunc de illo tractamus. Veritas autem catholica est, etiam hoc modo essentiam non facere compositionem cum relationibus, quam ex principijs fidei infra tractatu ultimo ostendemus. Nunc solum assero illam compositionem excludi posse duplici titulo. Primo ex quadam generali ratione; ob quam compositio repugnat DEO, scilicet, quia compositio supponit limitationem in extremis componentibus, sed hæc limitatio repugnat Deo, ergo. Maior declaratur, quia compositio supponit distinctionem in re, distinctio autem non est, nisi ob limitationem, vel oppositionem, ex quibus illa, quæ est per oppositionem extremorum habet locum intra Deum, sed non est apta ad compositionem, quia opposita, vt sic non vniuntur inter se, licet in vno tertio possint esse idem, vt infra de relationibus diuinis dicemus. Distinctio autem inter extrema non opposita, non habet locum intra Deum, quia talia extrema sunt limitata, ac proinde imperfecta. Alia ratio valde propria est, quia cum natura diuina sit essentialiter subsistens, non potest vniui personalitati distinctæ ab illa, & ita solum potest esse in persona sua, per identitatem cum illa, vt dicto loco latius dicemus. Vnde obiter intelligitur, in hoc puncto magis agendum esse supernaturali discursu, sensu ex principijs creditis, quàm naturali, vt in disp. 30. Metaphys. sect. 4. dixi, vbi satis declaratum est, quantum in hoc valeat ratio naturalis.

Tertia compositio realis esse solet in substantijs ex partibus integralibus. Et hæc solum inuenitur in substantijs corporeis, & quantis. Vnde cum supra ostensum sit, Deum non posse esse substantiam corpoream, satis constat, non posse habere compositionem hanc ex partibus integralibus. Accedit, quod hæc compositio (iuxta viorem doctrinam) supponit compositionem ex materia, & forma, quam in Deo non esse, statim ostendemus. Imo licet daremus substantiam non compositam ex essentiali potentia, & actu, sed simplicem, quoad negationem huius compositionis, posse esse compositam ex partibus integralibus, non posset talis modus substantiæ Deo attribui. Quia vel talis substantia esset capax extensionis quantitatis, vel non.

Si pri-

Cap IV. An in Deo sit aliqua compositio.

si primum dicatur, esset tota corporea, & ex hoc capite repugnaret Deo. Immo esset minus perfecta, quam substantia hominis, quæ non est tota sic extensa, & corporea, sed formam habet spiritualement. Item talis substantia non posset esse intellectualis, vt in libris de Cælo ostensum est. Si vero fingatur substantia, habens partes integrantes, & non subiecta moli quantitatis, nec capax extensionis eius, sed solum habens ex se entitativam, & substantialium partium multiplicationem, hæc fictio chimerica est, & in se impossibilis, & plane inuoluens multas imperfectiones repugnantes Diuinitati. Vt dicta disput. 30. Metaphys. sectio. 4. num. 16. ostendi, quod hic repeteri non est necesse. Præsertim, quia non legimus aliquem, vel gentilem, vel hæreticum, ita sensisse de Deo. Vt ex principijs fidei certissimum est, hunc substantiæ modum esse repugnantem Diuinitati. Vnde Patres omnes tractantes de generatione Verbi Diuini, vt euidentissimum supponunt, non potuisse Patrem communicare substantiam suam Filio, nisi communicando totam, quia substantia illa non habet partes.

5. *Quarta cõpõitiõ.* Quarta compositio est ex materia, & forma. Et hæc si intelligatur de materia nobis nota, inuoluit imperfectionem corporeæ molis, de qua satis dictum est. Si autem fingatur ex alio genere materiæ non subiectæ quantitati, nec capax eius, ac proinde spiritualis, & indiuisibilis quoad partes integrantes. Dicimus in primis hoc genus materiæ substantialis, vel esse omnino impossibile, vel esse fictum sine fundamento, quia neque ex operatione colligi potest, neque ad operationem potest deferuire. Et alioqui talis substantia haberet imperfectionem potentiæ passiuæ, & de se non haberet, esse perfectum, sed dependens à forma, vt latius dicta sectio. 4. à num. 8. ostendi.

6. *Substantia diuina cõpõitiõ.* Ex hac ergo inductione aperte concluditur, substantiam Dei, esse entitatem simplicem quoad carentiam realis compositionis, ex quocumque genere partialium entitatum, seu actus, & potentiæ substantialis, in re ipsa distinctorum. Et generaliter confirmari potest ex illo principio, quod diuina substantia debet esse omnino necessaria, & ita ab intrinseco immutabili, substantialiter, vt ex vi sui esse implicet contradictionem non esse. At substantia realiter cõpõitiõ non potest esse realis. Quia vt rectè dixit Nazian. oratio. 2. de Theolog. *Eo ipso quod substantia coalescit ex multis, non repugnat dissolui.* Quamuis enim Philosophi doceant, Cæli substantiam esse incorruptibilem, licet composita sit ex materia, & forma, & angelos esse incorruptibiles, etiam si cõpõitiõ sint ex natura & supposito, & esse & essentia. Nihilominus verissimū est, per se, & intrinsecè nõ repugnare illam compositione dissolui, & angelos annihilari, vel priuari sua personalitate, & materiã, ac formam cæli diuigi, & partes integrales cæli diuidi, & in vniuersum idem mēs concipit in omni re, quæ coalescit ex multis, nimirū quod ex parte obiecti non repugnet illa dissolutio.

7. *Essentia.* Video posse proteruum respondere, intelligi posse entitatem compositam, ita per se necessariam, vt & partes, & vnio earum habeant eandem necessitatem essendi ex se, & non ex causa extrinseca, & inde in earum dissolutione esse posse omnimodam impossibilitatem. Aliæ enim vniones quantumuis ex parte sua videantur perpetuæ, tamen quatenus pendunt à causa extrinseca efficiente, eatenus non repugnat dissolui. At posita vnione per se necessaria sine causa efficiente, compositum ex illa tam necessarium erit, sicut entitas omnino simplex. Quod si obijciatur, quia illa vnio necessario penderet à partibus componentibus, & consequenter etiam totum penderet ex illis, & vna pars ab alia, quia non posset esse sine illa, & consequenter vtramque à toto, sine quo esse non posset. Responderi posset hanc non esse propriam dependentiam, sed connexionem Suarez: de Deo trinuno.

intrinsecam & quali formalem, sine vlla efficiencia, ac proinde nihil illam obstare necessitati essendi. Sed in primis illam internam dependentiam est magna imperfectio. Deinde intelligi non potest, quod pars illa saltem potentialis ex se habeat esse, quia necessitas essendi à se, formaliter dicit summam actualitatem, & perfectionem, vt ostensum est latè in dicta disput. 30. sect. 4. Vnde etiam repugnat, talem potentiam ex se habere vnionem cum suo actu, sed necesse est, vt illam habeat, vel à causa extrinseca, & ita non repugnat, per eandem causam dissolui, & separari: vel certè ab ipso actu sese vnienti sua virtute tali potentiæ, & sic ille erit causa prior, & erit Deus, & non tale compositum. Repugnat ergo Deum habere in sua substantia realem compositionem.

Hic vero occurrebat quæstio, an saltem possit Deus, habere compositionem rationis in substantia sua, qualis est illa, quæ est ex genere, & differentia. Veruntamen de hac quæstione nihil hic tractare decreui. Tum quia, quæ dixi in dicta disput. 30. sect. 4. à nu. 28. vsque ad 35. videntur mihi sufficere. Tum etiam, quia pender magis ex principijs dialecticis, & metaphysicis quam ex Theologicis. Aduerto tamen, supernaturalem Theologiam admittere in Deo constitutionem aliquam per modum compositionis secundum rationem, vt tractando de constitutione personarum in Trinitate videbimus. Vnde etiam constat distinctionem, quæ tantum rationis est, non repugnare simplicitati Dei, ergo nec compositio per solam rationem ex suo genere illi repugnabit. Nam hæc duo mutuo sibi correspondent. Hinc ergo constat, compositionem ex genere, & differentia, si Deo repugnat, non repugnare solum ratione simplicitatis, quia non repugnat ex vi compositionis secundum rationem. Oportet ergo, vt repugnet ex alijs principijs pertinentibus ad talem modum compositionis, quæ philosophica tantum esse possunt.

In quo etiam aliud aduerto, scilicet, duobus modis posse tractari quæstionem illam. Primo de genere communi Deo, & creaturis, & differentia distinguente Deum à creaturis, ita vt descriptio data à nobis capite præcedenti, Deum esse substantiam viuientem intellectualem per essentiam, propriè censetur constare ex genere, & differentia. Secundo potest tractari dicta quæstio, de Deo intra seipsum. Priori modo tractata est à nobis quæstio citato loco sicut communiter tractatur. Et sic diximus. Deum non conuenire in genere aliquo cum creaturis, nec differre ab illis per differentiam propriam, & ita in se non constare genere, & differentia. Ratio autem sufficiens est pro priori parte, quia nihil est vniuocum Deo, & creaturis, vt in eadem Metaphys. disput. 28. latius diximus. Pro altera verò parte ratio est, quia in Deo nulla est propria differentia, quæ non includat totam perfectionem essentialem Dei, quod est latè probandum in sequentibus, hoc autem est cõtra rationem differentia, vt ex Metaphysica etiam constat.

Aliter vero quæstionis sensus non habet locum stando in sola ratione naturali, quia Deus, vt Deus est, multiplicari non potest, sed essentialiter est hic singularis Deus, & ideo concipi non potest vero conceptu communi, & vniuersali, quare non potest in eo esse genus, vel species in ordine ad Deum, vel plures Deos. Tamen supposito mysterio Trinitatis possunt dari conceptus communes secundum rationem tribus personis, non vt sunt Deus, sed vt sunt personæ, vel relationes, & hoc modo habet locum quæstio, an intra Deum sit compositio generis, & differentia, quam attingemus tractantes de Trinitate.

)(

8. *Difficultas.*

9. *Animaduersio.*

10. *Notabile proponitur.*

STARE
IN
COM
DE
COUTEN
REO

D.V.